

www.e-rara.ch

Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum

Oecumenius

Venetis, M D LVI

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

[Dedicatio.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

I I I
AD ILLVSTRISS. AC REVE-
RENDISS. ALEXANDRVM
FARNESIVM,
S. R. E. CARDINALEM
AMPLISSIMVM.

Io. Bernardi Feliciani in catenam gręcarũ in no-
uam scripturam explanationum p̄fatio.

*Vbi quàm necessaria veterum ecclesię doctorum lectio
Christiano homini sit, exponitur.*



VM *sępe Reuerendissi-
me Antistes mecũ cogita
rem, quid esset in causa,
cur cum una tantum sit
ueritas, nonnulli tñ sint,
qui pro doctrinarum di-
uersitate non diuersa tantũ,
sed contraria quo
que uera esse opinentur : illud
potissimũ mihi succurrebat,
quod neglecta norma, quę
unicui que rei ex mutuo
quodam uniuersi consensu
adiacet, singula ex sese
iudicanda separatim
censerent. Nam cum tres
gradus sint, in quibus
una & eadem ueritas pro
ratione tamen temporum
primũ obscurius paulo,
deinde clarius, postremo
apertissime emicuerit, sub
natura, sub lege, sub gratia :*

* ij

beret, quin sicut lex & gratia naturæ, sic legis gratia esset examen: ut nihil una ab altera in ueritate præmostranda nisi quantum ad perfectionem & imperfectionem spectat, discrepare censeretur. Duplex enim doctrinæ genus cum sit, humanum unum, alterum diuinum: humanum esse in præsentia id intelligo, quod cum ex rerum natura dependeat, ut inquit Augustinus, non institutum & excogitatum, sed animaduersum ab omnibus est. cuiusmodi omnia sunt, quæ sine superstitione ad rerum et rationum inuestigationem spectant, & non tam ad bene traducendam uitam faciunt, quàm ad memoriam temporum & rerum gestarum reuocandam: ac quibus demum philosophiæ omnis ratio, ac disciplina constat. Diuinum, alterum nouum est, alterum uetus. Vetus, quod in tabulis lapideis literis mandatum testamentum Dei fuit. Nouum, quod in tabulis cordium spiritus fuit inscriptum: quod per totum terrarum orbem Apostolorum prædicatione disseminatum in ecclesia uniuersali ita pullulauit, & creuit, ut assidua eiusdem spiritus præsentia conferuetur. Nam quod literis postea traditum est, id pro occasione ad falsos apostolos conuincendos, & fundamenta potius et semina ueri euangelij memoriæ committen-

da, q̄ ad doctrinam explicandam effectum est, Atq; humana quidem doctrina ac philosophia ueritatem, quæ ubicunque, ut inquit Augustinus, inuenta fuerit, Domini est, in rebus ipsis latentem indagat, naturale lumen sequuta: quod quia exiguum admodum est, & suboscillum, atque idcirco interdum facit, ut mens inbecilla hallucinetur ac decipiatur, alio lumine, legis uidelicet ac gratiæ, hoc est ueteris et noui testamenti illustretur, necesse est. si absq; ulla dubitatione uerum sit præmostraturum. ita ut, si quis regula huiuscemodi uti in philosophia atque humana disciplina uoluerit, ut an consentiat cum lege et gratia, animaduertat, facillima omnia futura ei sint: sin iudicio suo niti maluerit, titubationem et difficultatem uel leuissima quæque interdum sint allatura. Sic fit, ut ex philosophis qui cōsenserint cū Mose, & ueritate euāgelica, eos uerius fuisse cōtēplatos iudicemus: eos uero qui contraria his fuerint opinati, falsa sensisse ac scripsisse non dubitemus. quippe cū ueritas una cū sit, cōtraria esse ueritati nullo modo possit. Vnde quāobrem admittenda eorū doctrina sit, non uideo, uel qui licet uerū esse atq; in dubitatū fateantur, utpote quod fidei lumine illustratū iam sit Christianū dogma de mūdi creatiōe, et anime immorta

litate, atque huiusmodi cæteris, asserere tamē
 non uerentur non esse falsas rationes, quibus
 ex hallucinatione philosophi nonnulli con-
 trarium astruere nituntur: quasi fieri ullo pa-
 cto queat, ut aut uera duo contraria sint, aut
 uera principia ea sint, ex quibus falsum colli-
 gitur: uel qui propterea q̄ perfectius est bonū,
 & clarius, quod ex fide conspicitur, q̄ quod ex
 philosophia, quicquid naturali lumine perspi-
 citur, aut falsum esse, aut malum contendunt:
 quasi si falsum aut malum aliquid colliga-
 tur, id ex luminis peruersitate, quod ab uno &
 eodem auctore Deo emanat, non ex halluci-
 natione nostra existat. cum tamen sicubi tale
 quippiam uidetur asserere Augustinus, de hal-
 lucinatione se intelligere ex eo sine dubio de-
 claret, q̄ semper huiuscemodi uirtutes cum ar-
 rogantiæ & superbiæ aut auaritiæ uitio con-
 iungens ad uulgi sensum, in actu tantum ex-
 teriori considerat: in quo cum alij omnes phi-
 losophi, tum præcipue Aristoteles morales uir-
 tutes non esse constitutas identidem monet,
 ubi iusta, temperata, fortia, liberalia & simi-
 lia agere prauos etiam posse, iuste uero, tem-
 perate, fortiter, liberaliter, non nisi probos et
 bene moratos homines posse ostendit. Nā Pau-
 lus quoq; sapientiam mundi nihil aliud q̄ aut.

I. Cor.

3. d.

hallucinationem aut incobationem natura=
 lem uidetur appellare, in qua cum quis persi=
 stit, & intumescit, ac sapiens ut idem inquit,
 sibi uidetur, stultus proculdubio est. quin alibi
 quoque de cognitione diuina loquens, si quis,
 inquit, existimat se cognoscere, nondum no- I. Cor.
 uit, quemadmodum oporteat cognoscere. ubi^{s.a.}
 cognitionem etiam ipsam diuinam non tan=
 tum humanam inflare affirmat, si sine chari=
 tate sit. Sicut igitur humanum hoc lumen à
 diuino dirigitur ac iudicatur, ita diuinum
 quoque uetus à nouo illustrari censendum est:
 ut si quis in uetere nulla habita ad nouum ratio
 ne uelit persistere, nibilo minus in errore per=
 mansurus sit. Nam cum in figura & umbra
 omnia illis contingerent, nisi & figura ad ue=
 ritatem quam effingit, & umbra ad corpus
 ex quo redditur, fuerit relata, uana futura om=
 nis cognitio est. Veritas autem ipsa et corpus,
 nouum testamentum est, quod à uetere per um=
 bras & figuras significatur. Modus autem ac=
 commodandarum figurarū ueritati satis mul=
 tis locis in noua scriptura indicatus est, ubi ex
 uetere testimonia quāplurima citata reperiun=
 tur. Cum enim in diuina scriptura, utpote spi=
 ritu Dei tradita non tantum uoces sicut in hu=
 manis, sed res quoque ipsæ significant, fit ut du

VIII

plex eius sensus euadat. Nā si eandem scripturā extrinsecus ex uocum significato tantū cōideremus, historicus seu literalis sensus existit: in quo perseverare ac persistere nihilo fecius imperfectū est, ac si in naturali incubatione p̄māsissemus. si in r̄insecus ex rerum ipsarū indicatione perscrutemur, ad Christi aduētum, qui finis legis est, deueniemus, ac spiritualē sensum iā habebimus: qui quo perfectior literali est, eo nobilior ē̄t censendus ac dignior est, quē attendere debeamus: quippe cū, sicut inquit Apōstolus, omnia in Christo in unam quasi summa reducta iam sint, uerbumq; in eo fuerit abbreviatū. Spiritualis uero is sensus, cū Christi aduentus triplex sit, in mūdum ad fidē instituendam, in animā uniuscuiusq; ad componēdos mores, in gloriam ad unionē nostri cum patre faciendam, triplex etiā ipse euadit. unus siquidem et idem sensus si ad ecclesiam quæ in mundo adhuc militat, referatur, allegoricus proprie est: si ad ecclesiam particularem quæ in unoquoq; nostrū est, tropologicus sit, et moralis: si ad ecclesiam in cælo triumphantē, anagogicus et mysticus efficitur. Qui omnes quidē sensus ex scriptura ipsa noua cū alibi colligi facile possunt, tum ubi modo ecclesia, modo unusquisq; nostrū, modo cælestis patria, regnum cælorū

Eph. 1. b

Rom. 9. f

Mat. 13. f

Luc. 17. e

Matt. 5. a

Mat. 11. b

appellatur. Atq; ita quidē fit, ut uetus scriptura
 his tribus modis à noua explicetur. Noua
 uero ipsa cū & prius et explicatius in tabulis
 cordiū, sicut diximus, quā in mēbranis scripta
 fuerit, nihil aliud habet, quo referatur, & a
 quo cōprobationem sui, et iudiciū petere pos-
 sit, q̄ catholicæ ecclesiæ institutionē et auctori-
 tatē: in qua cū à spiritu Dei et custodiatur, &
 regatur, timendū nō est, ne ullus error subesse,
 aut ulla falsitas queat. Cui rei illud indicio est
 q̄ licet in scriptura euangelica fundari quan-
 doq; falsitas possit, id quod ex innumerabilibus
 hæresibus iā patuit: in ecclesia catholica inniti
 falsi et subdoli nihil unq̄ potest: ut nō immerito
 nō habere maculā aut rugam prædicetur. sine
 spiritu. n. qui uiuificat, litera omnis etiā euan-
 gelica occidit. sine spiritu autē est, cum catholi-
 cæ ecclesiæ sensu non intelligitur. id quod Pau-
 lus etiā uidetur significare, cū seuerissima illa
 detestatiōe utitur, ubi inquit: si quis uobis euā-
 gelizauerit, siue nos, siue angelus è cœlo præ-
 ter id quod accepistis, anathema sit: quo in lo-
 co de prædicatiōe et traditiōibus quas accepe-
 rāt, non de scriptura quæ nondū extabat, lo-
 cū, nemini dubiū est. quæ quidē traditiones ab
 Apostolis seminatæ, tot martyriū sanguine ir-
 rigatæ, à doctoribus cultæ, à posteris per cōti-

Eph. 5. f.

2. Cor.

3. b

Gal. 1. b.

nuam successione obseruatae, altissimis radicibus firmatae iam sunt. Si quis autem est, qui adeo sibi fidat, ut quia in cordibus scriptum est hoc testamentum, illustratum denuo priuatim se esse existimet ipse uiderit. Cauendum tamen idem

2. Cor. Paulus monet, cum ipse etiam sathanas in angelum lucis sese transformet, ne decipiamur.

II. c. Non decipi autem nos inde perspicuum erit, si illuminatio nostra ab ecclesiae uniuersalis illuminatione nulla ex parte dissenserit. id siquidem ipse Paulus etiam docet: quippe qui praecipuum argumentum & apud Corinthios, &

2. Cor. apud Galatas, quod peculiari illuminatione a Deo fuerit instructus, illud faciat, quod cum ab

II. a. alijs Apostolis non didicerit, consentanea illis praedicarit, nullaque in re diuersa ab illis docuerit. Nam si nouum quoddam lumen nobis pro arbitrio nostro confingere maluerimus, omnia nobis obtenebrabuntur ac confundentur: ita

Gal. 2. b. ut doctrinas quoque omnes humanas, quae naturali lumine etiam sine hallucinatione & errore percipiuntur, adeo esse peruersas & falsas simus opinaturi, ut non modo quicquam non profint, uerum etiam a Deo homines penitus alienent atque excludant. quod quanto in errore uersetur, perspicuum esse inde potest, quod cum tria lumina haec sint, quae commemorauimus, na-

turæ, legis, & gratiæ, & ita connexa inter se
 sint, ut quod prius extitit, posterioris certitudi
 ne illustretur: illud quod posterius est & cer
 tius, quod prius est, non tollit, sed confirmat ac
 perficit, nouumque aliud insuper adiungit, ad
 quod pertingere prius illud non poterat. Quæ
 admodum enim si quis lumen naturale dubiæ
 luci crepusculi, lumen ueteris testamenti luci
 quidem diei, sed nube tamen obscuratæ, lumen
 noui testamenti claræ solis luci meridianæ simi
 le esse diceret: is nequaquam assereret lucem diei eo
 quæ clarior sit & certior, propterea efficere ut
 ea uel falsa uel nulla sint, quæ in crepusculo
 conspecta fuerint, nisi hallucinando quispiam
 errauerit: immo quo clarior dies illucescit, præ
 terquam quæ hallucinationem omnem tollit, &
 tenuiora ac perfectiora formarum lineamen
 ta quæ conijci fortasse aliqua ex parte subob
 scura ea luce, sed percipi nulla modo poterant,
 manifestiora efficiuntur: eo certiora quoque illa
 ipsa fieri existimaret, & quo certiora, eo nobi
 liora, & utiliora: quippe quæ magis homines
 in diuinæ huius fabricæ admirationem indu
 cant. Cum enim naturalis cognitio res in ge
 neratione constitutas tantum consideret, in se
 cundis causis cõtemplandis uersatur: primam
 uero omnium causam, qui est Deus, non aliter

explorat, nisi quatenus ad secundus respicit, &
 ab ea secundæ omnes necessario dependerit: ut
 lumen naturæ non nisi crassiorē quasi quan-
 dam corporis molē, et formam rudiorē intuen-
 tibus possit aperire, cognitio autem diuina su-
 perueniens quasi lux diei minutiora etiam &
 exquisitora, quæ perfectionem totam afferūt
 & absoluunt, explorata nobis facit: Deumq;
 ipsum in se considerans admiranda etiam quæ
 sine secundarum causarum ope ulla et effecit,
 & efficit, ita manifestat, ut non modo secun-
 darum causarum cognitionem non tollat, sed
 etiam illustret. Alioqui enim si ob clariorem
 cognitionem quæ ex fidei lumine existit, repu-
 diari scientia naturalis deberet, uetus etiam
 scriptura esset damnanda & fugienda, quia
 à noua explanata iam fuit: neque amplius ei
 studium ullum esset adhibendum: cui quidem
 quantum noui testamenti luce præuia insu-
 dent sancti omnes patres, & merito insudan-
 dum sit, nemo est qui nesciat: quippe cum ple-
 na omnia in ea mysterijs sint: ut quo profun-
 diore indagatione sensa eruuntur, eo certior
 & iucundior in umbra ueritas emicet: unde
 à summa ueritate commendatur doctor qui
 Mat. 13. g. similis patri familias est, qui de thesauro suo
 noua & uetera exponit, ac profert. Sicut igitur

tur illa falsis rabbinorum quorundam fabu-
 losis commentis reiectis amplectenda est: ita
 naturalis omnis doctrina falsis quorundam
 hallucinationibus euitatis sic est peruestigan-
 da, ut quo profundius quis penetrarit, eo ma-
 gis in natura rerum diuinitatem admiretur.
 Immo cum naturam nihil aliud esse quam di-
 uinae artis in rebus insitam rationem constet,
 tantum abest ut damnandum eum esse cen-
 seam qui hanc diligenter perscrutatur, ut qui
 id non facit, quatenus non postpositis charita-
 tis officijs potest, parum gratus, erga sapien-
 tissimum rerum omnium artificem mihi esse ui-
 deatur. Nam neq; cum fide praevia ac duce id
 fiat, timendum est, ne evanescat consideratio:
 neque cum merito fidei certa omnia hoc lu-
 mine conspiciantur, uerendum est, ne rerum
 certitudine, quae merito fidei existit, meritum
 fides amittat. Scire enim per fidem non di-
 cimus, quia sine causa sciamus: sed quia sine
 causa sciremus, nisi credidissemus. nisi enim
 Deus uerum nobis praemonstrasset, in tenebris
 adhuc cessitaremus. Vnde etiam si post fidem
 de rebus fidei rationes habeamus, propterea ta-
 men non fit, ut fides periclitetur. immo tanto
 magis fides confirmatur, quanto per eam certior
 ac clarior rerum omnium cognitio nobis existit.

Adde quòd ante èt quam quis fidei lumine fue-
 rit illustratus, dubia ea crepusculi lux quan-
 tum prodesse homini possit, modo oculis men-
 A. 10. a tis non conuieat, & sincero ac pio corde in-
 grediatur, testis Cornelius centurio est: qui cū
 esset gentilis, naturali hoc lumine in eam pie-
 tatē est inductus, ut dignus habitus fuerit cu-
 ius preces à Deo exaudirentur, quiq; ad fidei
 lumen præmonstrante Angelo perueniret. ad
 eum enim qui ubiq; præsens est, ut inquit Au-
 gustinus, non locis mouemur, sed bono studio,
 bonisq; moribus accedimus. Quod si quia pau-
 ci sunt, qui sincero animo & pie, id est uerita-
 tis & honestatis causa naturales et scientias
 & actiones pertractēt, propterea prauas esse
 eas uelimus affirmare: uideamus, ne diuinam ea-
 tiam scripturam euāgelicam eo nomine accu-
 sandā esse fateri nobis necesse sit, quia nonnul-
 li sensu suo eam contumaciter interpretantes
 in errores absurdissimos delabantur. Sed inui-
 stum sanè est, si uitia hominum ad res ipsas
 transferenda esse censeamus. Sāctā enim scri-
 pturam nouam esse dubitat nemo. non propte-
 rea tamen fit, ut qui non sancte eam interpre-
 tantur, prauis esse non existimentur. non sancte
 enim explanatur, cum catholice ecclesiæ sen-
 su non exponitur. Ecclesiæ autē sensus ex per

petua obseruatione ab antiquissima memoria hucusq; traducta agnoscitur. At antiquissima memoria ex innumerabilibus ueterum sanctorum patrum scriptis facile representatur. Ut enim de Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Gregorio & cæteris huiusmodi taceam, e quorum libris omnia ferè uetera ecclesie instituta hodie quoq; usurpata deprehenduntur: quã multa antiquiores manifestant? quã multa Origenes? quã multa Nazanzenus? quã multa Cyprianus? Nam Basilius de baptismatis celebratione, & chrisimatis benedictione, de canone quem appellant missæ, de horis canonicis, atq; huiusmodi alijs, quædam quæ nunc etiam obseruantur, minutissime exprimit. ubi docet multa esse, quæ licet in scriptura expresse mandata nõ reperiantur, quin tamen ex Apostolorum traditionibus accepta fuerint, ex antiquissima obseruatione dubitandum non sit. quæ tamen sicut nonnulli quasi heri inuenta & introducta tanquam ex Epimenidis somno experrecti admirantur: ita egregius ille auctor tot ab hinc seculis (mille enim & trecenti ferè anni post ueritatem illustrata præterierunt) perinde in usu fuisse testatur, ac si memoria quoq; sua & uetustissima haberentur, & comprobata apud omnes es-

sent. Tamen si in scriptoribus quoque his quantum
quidem ad dogmata attinet, regula illa adhibenda est, ut ea ueriora esse intelligamus, & certiora, in quibus cuncti, uel plerique consenserint: in quibus uero disceptare aliquis ab alijs uideatur, caueamus primum ne quæ ad hominem & ad aliorum principia sunt disputata, & pro occasione dicta, in uniuersum asserta existimemus: id quod se alijs aduersus Pelagianos nonnunquam facere significat Augustinus, & alijs quoque esse faciendum monet in eo libro, quem de gratia & libero arbitrio inscripsit: ubi cum multa ex scriptura ad humani arbitrij libertatem comprobandam produxerit, postea timendum esse inquit, ne ista omnia diuina testimonia (eius enim hæc sunt uerba) & quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur, ut ad uitam piam & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio et gratiæ Dei locus non relinquatur, et auideat miser homo, quando bene uiuit & bene operatur, uel potius bene uiuere et bene operari sibi uideatur, in seipso non in Domino gloria ri, & c. Deinde uidendum est, ne si asserta etiã opinemur, ita simus contentiosi, ut uel non eo modo interpretemur, ut aut cum alijs consentiat,

tiat, aut saltem sibi auctor constet: & demum
 tam diu uersemus, ut monet idē Augustinus in
 scriptura sacra esse faciendū, quoad interpre-
 tatio ad regnum charitatis deueniat: uel si id
 non potest, ab uniuersorum cœtu potius, q̄ ab
 opinione unius discedendum esse censeamus:
 præsertim cum ipse etiā Augustinus in huiusce
 modi occasione æquiore animo admissurum se
 esse uituperatorem, q̄ laudatorem sui in libris
 de Trinitate fateatur. Quocirca cum mecum
 hæc reputarē, summa ope mihi enitendum dixi,
 ut ad sanctorū ueterum patrum lectionem,
 quasi in portū tutissimū præsertim his pericu-
 losissimis tēporibus me conferrem, quibus tantā
 hostis generis humani siue ignorantia, siue im-
 pudentia, siue utrunq; disseminauit, ut repente
 unusquisq; quasi nouo quodā spiritu afflatus,
 nulla catholicæ ecclesiæ ratione habita, nulla
 sanctitati doctorū reuerentia exhibita, nullo
 in discendo studio collocato interpretādæ scri-
 pturæ pro libidine sua, & docendi munus sibi
 arroget, quasi solus ipse ecclesia catholica sit:
 cū tamen Augustinus eum seiunctū a charita-
 te & Deo esse affirmet, qui se a catholica i-
 uniuersali ecclesia separauerit. Vbi cum inter
 alia in quasdā ueterum doctorum græcorū ex-
 planationes nouæ scripturæ incidissem, nō ab



re facturum esse me existimavi, si eas in latinā
 linguam uertere potuissem: primū, quia p̄ et
 Christiani animi esse mihi uidebatur, ut tran-
 quillitatē et securitatem qua ego legendis his
 perfruebar, alijs quoq; impertiri conarer: dein-
 de quia cum in euangelia catenā quam appel-
 lant aureā, latini haberent, opus præstantissi-
 mum ex ueteribus auctoribus tam græcis q̄ las-
 tinis à Thoma Aquinate & sapientissimo, et
 sanctissimo doctore miro ordine collectū ac dis-
 positum, reliquā omnem nouæ scripturæ par-
 tē, hoc est tā acta Apostolorū et epistolas Pau-
 li, q̄ ceteras aliorum Apostolorū, quas canoni-
 cas uocant, et Apocalypsin commentaria hæc
 explicabant in modū catenæ etiam ipsa con-
 texta; ut si latinitate fuissent donata, eā subse-
 qui nō incongrue posse uiderentur. Tum illud
 quoq; accedebat, q̄ quo diligentius & diutius
 hæc pertractarē, id quod in uertēdis ipsis omni-
 no mihi erat faciendū, eo maiorem utilitatem
 percepturū me esse sperabā, ut omnibus his de
 causis negotium hoc non inuitus susceperim.
 Sed cum rem eò tandē deduxissem, ut expla-
 nationes ipsas essem interpretatus, amicorum
 flagitationibus postea effectū est, ut ad conte-
 xtus quoq; ipsius nonnulla ad græcorū exem-
 plariū fidem immutanda animū adiecerim.

Qua in re tamen ne præceptis admodum essem,
 nec quicquam uariarem, nisi ubi explanationum uis
 interdum coegisset, Ambrosius monuit; qui in
 epistolam Apostoli ad Romanos de græcorum
 codicum discrepantia loquens, quæ tunc in la-
 tinis reprehendebantur codicibus, sic inueniri a
 ueteribus posita Tertulliano, Victorino, et Cy-
 priano testatur. Ut non ita temere græcorum co-
 dicum fidem absque doctorum, & temporum etiã
 consensu attendendam esse declaret. Cum igitur
 catenæ huius opus iam absoluerim, id præci-
 pue tibi Reuerendissime Farnesi propterea offe-
 rendum duxi, quia cum superioribus annis mora-
 lia Aristotelis cum Eustratii explanationibus
 lumine naturali elucubratum opus sub tuo no-
 mine edidissem, in quo humana ad mores ani-
 mi componendos disciplina exquisita et sancte
 ita traditur, ut non leuè illa quidem ad perse-
 ctionem diuinam præparationem afferat: cõsen-
 taneum esse uidebatur, ut quicquid efficere pos-
 stea potuissem, quod ad diuinam hanc perfectio-
 nem aliqua ex parte spectaret, totum id eidem
 tibi deberetur, præsertim cum in amplissima dis-
 gnitate & auctoritate in ecclesia iam ab ado-
 lescèntia constitutus eam animi præstantiam præ-
 te semper tuleris, ut cum in omnibus maximis
 Christianæ reip. negocijs, tum in his præcipue

tibi uersandū esse duxeris, quæ ad charitatem
 & perfectionem, omniumq; utilitatem et con-
 cordiam maxime attinet. In quibus proximis
 his annis quo modo te gesseris, inde perspicere
 unusquisq; potest, q̄ in tanta christianorum
 principum dissensione nullos uel maximorum
 itinerum laboris recusandos, nullam uel mini-
 mam occasionem omittendam censueris, unde
 opem aliquam rebus afferre te posse sperares,
 ut ea de causa libentius etiã accepturos homi-
 nes putem, quicquid tuo nomini dicatū in pu-
 blicum exierit. Accedit q̄ cum tam benigne,
 quæ tua singularis humanitas est, Frustratq; il-
 lud opus antea susceperis, non diffido fore, ut
 tibi hoc incundius accidat: ac tanto quidem
 incundius, quanto e sublimiore & diuiniore
 lumine extiterit. Nam quod ad meam inter-
 pretationem attinet, non dubito, quin eam nō
 exiguum maximæ meæ erga te obseruatiæ ac
 uenerationis argumentum omnes sint existi-
 maturi. Vale.